


UB.GM.

198

D 32



198

D32

DISSERTATIO
HISTORICO-PHILOLOGICA

DE
V A R I A S C R I -
P T U R A M S A C R A M I N T E R -
P R E T A N D I M E T H O D O ,

I N E C C L E S I A O L I M J U D A I C A , I M P R I M I S
O M N I V M , A C H R I S T O N A T O A D
H Æ C U S Q U E T E M P O R A , S E C U L O R U M
C H R I S T I A N A R E C E P T A .

ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Q U A M ,
T R I U N O F A V E N T E D E O ,

P R Æ S I D E
V I R O C L A R I S S I M O

D N . C H R I S T I A N O G E R H A R D O O F F E R -
H A U S , P h i l o s o p h . a c E l o q u e n t i æ O r d . S S . T h e o l .
E x t r a - O r d . i n I l l u s t r i , q u o d H a m m o n æ e s t ,
A t h e n æ , P r o f e s s o r e P u b l i c o ,

Publicè defendendam suscipit
C H R I S T I A N U S F R E U D E N B E R G H , H a m m o n e n s i s .

Ad diem 21. Febr. Loco horisq. solitis.

H A M M O N Æ ,
T y p i s B E R N H A R D I W O L P H A R D T ,
A N N O c l o l o c X C I X .

Nobilissimo Excellentissimo ac Perstrenuo
VIRO, DOMINO,
DN. THEODORO HULSMAN, Serenissimi
ac Potentissimi Principis Electoris Bran-
denburgicj &c. &c. &c. Consiliario Aulico,
nec non Justitiæ & Cameræ Primario,
Meritissimo &c.

UT ET
INCLYTÆ CIVITATIS HAMMONENSIS
COMITATUS MARCANI METROPOLIS
Nobilissimis, Amplissimis, Spectatissimis,
Patribus Conscriptis, D. D. D. D. Dominis
Consulibus, Camerariis, Scabinis, ac Tri-
bunis plebis, Piis, Justis, Felicibus &c.

Dominis Mæcenatibus, Evergetis ac Pa-
tronis suis Summis, ad cineres suspicien-
dis, devenerandis:

NEC NON
Nobili Spectatissimoq, Viro ac Domino,
DN. GERHARDO UNCKENBOLT, Ex-Came-
rario Reipubl. Hammonensium Dignissimo, Civi
ibidem & Mercatori Primario, Hospiti suo muni-
ficentissimo, ætatem colendo,

*Præsentis Studii sui Historico-Philologici pri-
mitias eâ quâ par est observantiâ offerre ac
sacræ facis*

CHRISTIAN. FREUDENBERG, Resp.



DISSERTATIO
HISTORICO-PHILOLOGICA

DE

VARIA SCRIPTURAM SACRAM
INTERPRETANDI
METHODO,

IN ECCLESIA OLIM JUDAICA, IM-
PRIMIS OMNIUM, A CHRISTO NATO
AD HÆC USQUE TEMPORA, SECULO-
RUM CHRISTIANA
RECEPTA.

§. I.



Nxiæ mortalium curæ, & quoti-
diana ipsorum studia, ex molesto va-
riorum defectuum sensu, & flagrante
majoris perfectionis cupidine nascentia,
abundè satis arguunt, omnium Homi-
num animis naturale quoddam inesse

A

bea-

beatitudinis desiderium. Quæ sacra consummatæ felicitatis fames, & perfectæ tranquillitatis sitis, non nisi abundantibus gratiæ divinæ thesauris expleri, & suavissimis bonitatis ac misericordiæ omnisufficientis Dei undis plenè ac perfectè restingui potest. Mentem, quippe, ab omni parte perfectam reddere & beatam, illius est, qui primùm eam condidit, quique pro libitu, perfectionis ac beatitudinis absolute sumptæ thesauros, cui, quando, & quomodo vult largitur. Nam, virtus non minor est mentem perfectè beare, quàm creare. Ut enim mentis creatio causam requirit omnisciam ac omnipotentem; ita, consummata illius perfectio, quæ alio nomine beatitudo dici solet, à nullo, nisi cujus scientia, & potentia sit illimitata, dari potest. Oportet enim, ut is, qui mentem ab omni parte beatam reddere vult, mentis naturam intimè cognoscat, omnes ejus facultates, omniaq; desideria penitissimè perspiciat. Substantiam quippe rationalem, cura solummodo rei notæ tangit: ignotæ verò nulla cupido; & facultatum mentis perfectio, naturali ac indivulso nexu sequitur earundem naturam; nam, talem quævis res admittit perfectionem, qualem illius patitur natura; naturam igitur facultatum mentis, perfectionis auctor ut intimè habeat cognitam atq; perspectam, imprimis necesse est. Præterea requiritur, ut beatitudinis fons sit prima rerum creatarum omnium causa, & ultimus earundem finis: tum, quia omnia præsertim substantiæ ratione præditæ, naturæ instinctu, ad eum semper tendunt, à quo, & per quem conditæ sunt: tum, quia mens quæ-

quævis creata in prima demum creaturarum omnium scaturigine, & ultimo earundem fine plenè ac perfectè acquiescit. Utpote in qua, intellectus cognoscendo, voluntas amando ac fruendo perfici potest. Deniq; is demum perfectæ felicitatis auctor est, ac dici meretur, qui ineffabiles non tantùm perfectionum absolute sumptarum thesauros possidet; sed cujus insuper potentia nullis prorsus coarctata est cancellis. In se enim, & sua natura beatus ut sit is oportet, qui aliis beatitudinis causa esse vult: siquidem, id tantùm alteri dari potest, quo quis ipse gaudet. Neque etiam consummatæ salutis auctor, ullo tempore, quicquam irritò conatu moliri debet, nil velle frustra sine eventu optato; neq; vota in cassum, nil proficientia fundere unquam, sed semper quem destinaverit finem assequi: ne videlicet à potentiori, dum beatam vitam creaturæ ratione præditæ conferre instituit, in consilio ac operatione sua impediri, atq; ita propria tranquillitatis privati possit.

§. II.

Unde jam porrò, cuiq; attendenti, facile veritas illius, quod initio diximus, constare potest: scilicet, absolutum perfectæ beatitudinis dominum, solum esse Deum, quem supernaturalis Revelationis ope ut Triunum cognoscimus. Nam *1.* ejus scientiæ nil clausum est, aut esse potest; ipse quippe rerum creatarum omnium causa, Stator ac Rector: nulla igitur *κτίσις ἀφανής ἐνώπιον αὐτοῦ. πάντα δὲ γινώσκῃ τετραχιδισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ.* Omnia ipse pectoris nostri arcana intuetur, & quicquid in secreto mentis recessu

latet, novit accuratissimè, cogitationes, consilia, vota, suspiria, spes metusq; omnes, omnes reciprocans animi æstus. Ejus igitur, & quidem solius est, intimè nosse, & penitissimè perspicere, quæ qualisq; sit mentis nostræ natura: quo tendant ejus vota; quibus mediis; quo modo; quibusq; thesauris ea expleri queant. 2. Præterea Deus omne illud bonum, omnemq; illam perfectionem, quâ beatitudinis desiderium homini innatum restingui potest, modo perfectissimo possidet. Cùm enim, sit perfectissimus, sua quoq; habet natura, quicquid est verè bonum, quicquid eximium, quicquid summum, quicquid deniq; omnibus numeris perfectum. 3. Deniq; ambigi, saltem cum ratione, nequit, quin Deus illos, quos possidet perfectæ beatitudinis thesauros, pro lubitu, sine ullo conatu irrito, salva sua sanctitate ac justitia, menti creatæ largiri possit. Præterquam enim, quòd divina voluntas, nullo sine clausa, agit quæ & uti vult ita omnia, ut nunquam illam destituere eventus & frustrari spes, nunquam irritæ spei pudor dolorve angere & torquere queat: omnes insuper, quotquot spatiose revolubilis mundi complexu continentur res, in totum ab ipso dependent: Deus omnes suo nutu temperavit, æternis quibusdam legibus administrat, & velut perpetuis habenis moderatur. Sole itaq; meridiano patescit clariùs, divinam potentiam, nullis prorsus inclusam esse terminis, nisi quos ipsa sibi posuerit: nihil in voluntate divina mutare adversum quem casum, nihil impedire, nihil invertere posse: præsertim, cùm Deus semper naturæ & virtutibus suis con-

convenienter agat, eosque sibi in operando fines proponat, ea media eligat, cum teneat ordinem, qui & sibi, & rebus sit convenientissimus, seque dignissimus. Quare jure tandem meritòque concludimus, unicam ac veram beatitudinis humanæ scaturiginem esse Deum.

§. III.

Quemadmodum verò perfectæ salutis fons in solo Deo est absconditus, ita meræ & benignitatis, & potentia divinx opus est, salutare hasce aquas creaturæ mente præditæ indigitare ac communicare. Potuisset enim Deus, suis satis dives bonis sui que plenus, & nullius præter se indigus, in se habitare unus & solus, atque ævo frui sempiterno beatus, nihilque eorum, quæ virtute sua produxit & efformavit, fecisse. Neque divinx beatitudinis mens creata capax & cupida esse poterat, nisi Deus eam, & intellectu, quo se Deumque cognoscere, & voluntate, qua se & Deum amare, clarire Deum & suture, qua deliciarum in Deo ut bono suo posset, præditam conderet. Denique, nec sui copiam sanctè Deus facere potuisset, nisi primæ mentis gloria esset summum creata mentis bonum, idem Dei, idem illius suavi concordia finis; & sanctis insuper hominem legibus ad sui amorem, obsequium, cultum, juris & æqui religionem obligaret, bonisq; promitteret bona, malis verò mala certò infligenda proponeret.

§. IV.

Cùm itaq; Deus T. O. M. ante secula, demonstrationem virtutum sibi naturalium & perfectæ suæ

Gen: I.
26.

Act: xvii.
29.

beatitudinis communicationem benignè, sapienter ac liberrimè statuisset; & interim neutrum horum sine productione creaturæ rationalis fieri posset; quæ Deum intelligere, & operum ejus magnitudinem capere, & conditorem æternis laudibus prosequi, atq; ita beata esse posset; Hinc absolutis exteris mundi partibus, tandem Homo natus est, colophon ac gloria operum Dei: quem quidem, quò melius cœlestem originem referret, *sua imagine ac similitudine* decoravit, dum mentem intellectu & voluntate recta, præditam condidit, ac cum mirabili illa corporis structura, modo stupendo conjunxit. Ut autem, *hoc Dei genus*, in finem Deo dignum sibiq; salutarem, & vellet, & posset tendere, locusq; mutuo fœderi maneret; Deus intellectum ejus, tum eminentissima atq; amabilissima sui ipsius idea, tum formis rerum aliarum instruxit, quibus mediantibus, rerum naturas, ordines, nexus & fines contempleretur. Præterea, voluntatem talem fecit, ut propriæ semper indigentia ac impotentia; Dei è contra sufficientia & bonitatis conscia, in ipsum ut summum bonum, & ultimum suum finem tenderet, tanquam in cujus communione ac fruitione, gaudio, lætitia ac tranquillitate imperturbata frui, atq; ita conscientia suavissima ac tranquillissima, æternum esse posset; Denique, ut à parte Dei, demonstrationi Gratia ac Justitia: à parte autem hominis, remunerationi ac pœnæ locus maneret reliquus, sapiens & benignus Deus, talem constituit voluntatis libertatem, quâ formas rerum variè pro lubitu combinare, quâ desideria ordina-

dinare, quæ optionem facere, cuiq; rei justum pretium statuere, quæ deniq; res amare, vel fugere posset. His rationalibus facultatibus, postquam Deus hominem instruxisset, ulterius ei placuit, pro immensa sua bonitate, creaturam ex naturali obligatione, sibi ultrò subditam omniaq; debentem, inito fœdere, ad propiorem sui communionem invitare. Quare cum Protoplastis, *natura*, sive ut alii loqui amant, *Operum Fœdus* pepigit: ita quidem, ut partim vi legis, in tabulis cordis eorum exarata, partim vi legis positivæ flagitaret, ut quemadmodum ex ipso, ita quoque tales quales erant, per, & ad ipsum essent. Cui stipulationi cum sese sancta ac debita obedientia subjecissent, duplici Deus ratione, propositum fœdus sancire voluit: Ab una parte, promissione omnis illius, quod vitæ verè sic dictæ nomine venire potest: Ab altera parte, comminatione omnis generis pœnæ; quæ unico sed emphatico *mortis* vocabulo exprimitur. Atq; hic modus, hæc fuit ratio, qua Deus homini integro salutem ac salutis viam revelavit.

S. V.

Ast è vestigio, magna illa ac lugenda hominis primi à Fœdere Dei defectio insecuta, & principale generis humani crimen, ac summus seculi reatus, in mundum introductus est. Licet enim homo ita recens à Deo creatus, integer viribus, animo ac mente castus, variis prægrandibus Dei donis cumulatus, Creatori suo ætiori Fœdere obstrictus, & ipse æternæ felicitatis donatus esset: attamen sibi quæsit

Gen: II.
17.

Ecclef.
VII. 29.

I. Joh. II.
16.

Rom.
VIII. 7.

Rom. V.
15.

vanas **מַדְבָּרִים** quibus accesserunt Diaboli invidia; propria superbia, & hinc justissima auxilii divini denegatio; quam ilicò exceperunt spissæ ignorantix de Deo, rebus divinis, seipso, suisque officiis tenebræ: *prava carnis, oculorum & pompe hujus vite concupiscentiæ, Deo ac legi ejus rebelles: inordinati denique affectus, & perverſi membrorum corporis motus. Qua unius primi Adami offensa non tantum multi constituti sunt peccatores; sed & omni-modâ omnibus ipsius posteris corruptio connata, & tanta virium ad Deum rectè cognoscendum, amandum, colendum eoque tandem fruendum in ipsis exorta est impotentia; ut ratione, tanquam idoneo antea duce, qui salutis ac perfectæ beatitudinis viam ipsis indigaret, ad unum deinceps omnes sibi derelicti penitus fuerint privati, & inter spem metumque anxii hæserint.*

§. VI.

Rom.
VIII. 20.

Rebus itaque humanis, ex pristino felicitatis statu, peccato planè deturbatis, homineque omni beatitudinis, rationis viribus adipiscendæ, spe penitus exuto; reliquisque creaturis usui humano interventibus unâ gementibus, quòd vanitati essent subjectæ; omnibusque creaturis ratione præditis, medium reconciliationis, inter Deum & hominem peccatorem instituendæ ignorantibus; Tandem Deus, benignæ voluntatis suæ solus idoneus interpres, in medium prodiit, & homini, cum angoribus ac tremoribus, accusantis ac condemnantis conscientix, miserè conflictanti, subque gravissimo

iræ